INDEX

PRAELECTIONUM

In Universitate Literarum Regia Varsaviensi,

Inde a III. Non. Oct. MDCCCXVIII Usque ad Pridie Cal. Aug. MDCCCXIX

Habendarum.

VARSAVIAE.

UNIVERSITATIS LITERARUM VARSAVIENSIS

Rector

ADALBERTUS SZWEYKOWSKI

cum

Senatu Academico

S. D.

Civibus

Obtinet apud exteras gentes opinio, inde ab aliquot deducta aetatibus, eaque et probri plena, et, si vera est, ad communem patriae nostrae salutem vel maxime pertinens, negligi et tantum non sperni a Polonis literarum antiquarum studia; qui nostratium rite his sacris initiati sint, perpaucos, qui Hellada Latiumque dicendo consequutus sit, reperiri fere neminem. Nos quidem, etsi ii non simus, qui, quicquid aut temere, aut malitiose dictum fuerit, id statim sub examen vocandum esse putemus; ita tamen statuimus intuendum esse tanquam in speculum, in graviora peregrinorum de rebus nostris judicia, videndumque, sitne in his parata aliqua medicina, quam ad vulnera nostra sananda transferre possimus. Intelligitis profecto Commilitones, illud quidem, quod, in probris de gente nostra dictum supra memoravimus, non inanium verborum disputatione, sed ipsis rerum argumentis, neque singulorum aliquot scriptis, sed exemplorum varietate et praestantia dilui posse atque refelli. Qua in re quanta sit nostra de studiis Vestris expectatio, etsi jam multis ex causis colligere potuistis; tamen in hoc etiam edicto solemni quadam obtestatione adhibita, admonendi esse videbamini. Efficiet sane Vester in patriam animus, ut, etiamsi nulla ex his literarum antiquarum ostenderetur utilitas, neque tam arcta esset earum cum reliquis disciplinis conjunctio, quod unam ad maculam nomini nostro abstergendam pertinere intellexeritis, id singulari quodam studio Vobis prosequendum esse putetis.

I. Ordo Theologorum.

1. Adalbertus Anselmus Szweykowski, Can. Cath. Ploc. Prof. Ord. et h. t. Rector Universitatis exponet Eloquentiae sacrae praecepta diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora 9. — 10.

2. Paulus Szymański, S. Theol. Doct. Prof. Ord. et h. t. Decanus tradet singulis per hebdomadem diebus hora 8 — 9 prolegomena ad libros sacros Novi Foederis juxta Systema Altmanni Arigler. Hermeneuticam vero Biblicam duce Joanne Jahn, consulto eodem Arigler.

3. Constantinus Thomas Dembek, Prof. Ord. continuabit Theologiam Moralem, duce Ant. Reyberger, diebus Martis, Jovis, et alternis mensibus die Saturni hora 10 — 11.

4. Eduardus Metelski, Prof. Extraord. perget in Dogmatibus Christianis explicandis, diebus Lunae, Mercurii, et alternis mensibus die Saturni hora 10 — 11.

5. Jacobus Szarkiewicz, Prof. Extraord. singulis diebus, excepto die Saturni, hora 2 — 3 persequetur Historiam Ecclesiasticam a Sec IX. inclusive, usque ad nostra tempora, juxta Systema Xaverii Gmeineri.

6. Adamus Chmielewski, Prof. Extraord. diebus Martis et Saturni hora 9 — 10 linguam Hebraicam, diebus vero Mercurii et Jovis hora 1 — 2 linguam Graecam docebit, auditoresque ad exegesin literarum sacrarum praeparabit.

II. Ordo Jureconsultorum.

1. Joannes Vincentius Bandtkie, Doct. U. J. Prof. Ord. et h. t. Decanus profitebitur die Martis hora 3 — 4, diebus Mercurii et Jovis 3 — 5 Jus Polonicum ejusque juris historiam; die Veneris h. 3 — 4 Institutiones Juris Romani.

2. Xaverius Szaniawski, Dr. U. J. Prof. Ord. explicabit hora 11 — 12

die Martis et hora 10 — 12 die Mercurii scientiam de Aerario publico administrando (Naukę Finansową.); hora 11 — 12 die Jovis et hora 10 — 12 die Veneris Jus canonicum.

3. Alexander Engelke, Dr. U. J. Prof. Ord. tradet hora 8 — 10 die Jovis, Veneris et Saturni, processum judicialem civilem et criminalem; nec non instituta judiciorum, notariorum, et hypothecarum.

4. Joannes Christianus Hoffmann, Mr. Phil. Prof. Ord. tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii hora 10 — 11. Oeconomiam ruralem, quam practicam vocant, secundum Cel. Trautmanni Librum: Versuch einer wissenschaftlichen Landwirthschafts-Lehre; hora 11 — 12 die Lunae Oeconomiam ruralem, quam theoreticam vocant, secundum eundem auctorem. Diebus vero Martis et Mercurii hora 11 — 12 exponet *encyclopaedice* de singulis objectis oeconomicis et technologicis, et quidem 1. De cultura et usu vario solanorum tuberosorum; 2. De arte cerevisiae nova methodo coquendae; 3. De confectione spiritus vini ex fructibus patrii soli ejusque destillatione recte dirigenda; 4. De machinis vapore aqueo motis.

5. Clemens Urmowski, Dr. U. J. Prof. Extraord. docebit hora 8 — 9 diebus Lunae et Martis, Encyclopaediam et Methodologiam Juris; diebus Mercurii et Jovis, Jus naturale; diebus vero Veneris et Saturni Statisticam; hora 4 — 5 die Saturni Psychologiam criminalem.

6. Josephus Minasowicz, Mr. Juris, Prof. Extraord. exponet hora 9 — 10 diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, Historiam Juris, praesertim Romani; diebus vero Mercurii et Saturni, Codicem commerciorum, secundum quem Jus in regno Poloniae redditur.

III. Ordo Medicorum.

1. Joannes Stummer, Dr. Med. et Chir. Prof. Extraord. **Anthropologiam** theoreticam, secundum *Brandtii* compendium quinis, excepto die Saturni, diebus hora matutina 9 — 10 explicabit: studiosos vero, theoria hujus doctrinae imbutos, horis pomeridianis 2 — 4 iisdem quinis diebus practice in cadaveribus exercitabit. Aestivi temporis spatio Anatomen comparatam, secundum compendium *Blumenbachii*, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, horis pomeridianis 3 — 4 nec non Osteologiam diebus Lunae et Jovis horis matutinis 11 — 12. tradet.

2. Josephus Celiński Prof. Ord. Pharmacologiam et Pharmaciam secundum Compendium sub titulo,, *Farmacya czyli nauka doskonałego przygotowania lekarstw*" a se editum, hora matutina 8 quinquies per septimanam, nec non die Saturni eadem hora Chemiam Medicinae forensi adaptatam, secundum proprias theses docebit.

3. Joannes Mile, Dr. Med. et Chir. Prof. extraord. Physiologiam diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora pomeridiana 4 — 5, secundum *Dziarkowskii* Compendium,, *Fizyologia ciała ludzkiego*" tractabit, nec non artem obstetriciam (*sztuka babienia*) secundum proprias theses quinquies in hebdomade, excepto die Saturni hora pomeridiana 3 — 4 exponet.

4. Hyacinthus Dziarkowski, Dr. Med. et Phil. Prof. Ord. Pathalogiam generalem diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora 10 ad 11; historiam Medicinae vero diebus Mercurii et Saturni iisdem horis enarrabit.

5. Joannes Freyer, Dr. Med. et Chirur. Prof. Ord. et h. t. Decanus, Materiam Medicam, secundum Compendium quod edidit sub titulo: *Materyia Medyczna czyli Nauka o sposobie skutkowania lekarstw*, diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora matutina 9 — 10., nec non die Saturni hora 10 — 11, eaque absoluta *Pharmacocatagraphologiam* secundum Compendium a se sub titulo: — ,,*Formulare czyli Nauka o sposobie przepisywania lekarstw*" editum tradet. Pathologiam specialem diebus Martis, Jovis et Saturni, hora matutina 9 — 10. explicabit.

6. Franciscus Dybek, Dr. Med. et Chir. Prof. Ord. Chirurgiam theoreticam, proprias theses secuturus, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora matutina 11 — 12. docebit. Chirurgicas insuper exercitationes in cadaveribus, diebus Mercurii et Saturni iisdem horis instituet; in semestri aestivo vero Desmurgiam in Phantomate exponet, nec non Clinicen chirurgicam quotidie hora 9. in Instituto Chirurgico obviasque in aliis Nosocomiis operationes moderabitur.

7. Aemilianus Nowicki Dr. Med. et Chir. Prof. Extraord. Ophthalmologiam medicam et chirurgicam, dein Dentisticen et morbos ossium quinquies per hebdomadem, excepto die Saturni, hora matutina 8 — 9. docebit, vicibus insuper Adjuncti Clinices chirurgicae nec non Prosectoris Anthropotomici fungetur.

8. Maur. Woyde, Dr. Med. et Chir. Prof. Extraord. Medicinam forensem duce *Metzgero* (ed. *Gruneri*), Politicen medicam praeeunte *Hebenstreitio*, nec non Artem veterinariam theoreticam, secundum proprias theses diebus Mercurii et Saturni hora 11 — 12; et diebus Martis et Jovis hora 4 — 5 explicabit.

9. Guilielmus Wahlburg, Dr. Chir. Prof. Ord. Artem obstetriciam sublimiorem, secundum proprias institutiones, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora 3. — 4. exponet, nec non varias methodos partum difficiliorem adjuvandi, exercitationibus in phantomate, cadaveribus dataque forstitan occasione etiam in parturientibus ipsis demonstrabit. Aestivi semestris spatio vero, horis in septimana quaternis, de quibus cum Auditoribus convenerit, morbos mulierum et recens natorum docebit. Institutum obstetricium insuper moderabitur.

10. Vincentius Szczucki, Dr. Med. et Chir. Prof. Ord. vices tenens, secundum proprias theses Therapiam generalem, eaque absoluta, specialem hora pomeridiana 2 — 3. exponet; in Instituto clinico insuper medicinae studiosos quotidie hora matutina 8. in tractandis aegrotis exercitabit.

11. Mathaeus Mikulinski Magister Med: et Chir: Artem veterinariam theoretice secundum proprias theses ternis in hebdomade horis, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora pomeridiana IV. docebit; Anatomen et Physiologiam jumentorum pecorumque singulatim, secundum organa in epizootiis imprimis affecta — dein Pathologiam cujuscunque generis — tunc Materiam medicam nec non denique Therapiam morborum rationalem et empiricam explicaturus.

IV Ordo Philosophorum.

1. Antonius Dąbrowski, Prof. Ord. diebus Lunae et Jovis, hora 8 — 9. explicabit calculum differentialem; reliquis vero diebus hebdomadis eadem hora tradet Algebram ejusque applicationem ad Geometriam linearum curvarum secundi ordinis.

2. Franciscus Arminski, Prof. Ord. hora pomeridiana 1 — 3. diebus Martis, Jovis et Veneris profitebitur Astronomiam et Mechanicam coelestem.

3. Adamus Ignatius Zabellewicz Dr. Phil. Prof. Ord. praemissa introductione in universam Philosophiam, enarrabit ejus historiam diebus Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni hora 11 — 12.

4. Carolus Josephus Skrodzki, Prof. Ord. docebit Physicen rationalem atque experimentalem hora 1 — 3. diebus Lunae, Mercurii et Saturni; Opticen vero hoc anno, fusius quam caeteras Physices partes explicabit.

5. Adamus Kitaiewski, Prof. Ord. tradet diebus Martis, Jovis et Saturni hora 9 — 11. Chemiam puram experimentis illustratam.

6. Frider. Jacob. Hoffmann, Dr. Medicinae, Prof. Ord. Mineralogiam tradet secundum Werneri systema simul cum citationibus characterum Hauy. Horae huic disciplinae destinatae sunt dierum Lunae et Mercurii hora 9 — 10; die Martis, hora 11 — 12. Horis pomeridianis 3 — 4. dierum, Lunae, Martis et Mercurii caeteras partes Zoologiae, continuabit.

7. Mich. Szubert, Prof. Ord et h. t. Decanus tradet diebus Lunae, Mercurii et Veneris Botanicen generalem; diebus Martis, Jovis et Saturni Cryptogamiam hora 10 — 11.

V. Ordo Doctrinarum et Artium liberalium

I. Doctrinarum

1. Felix Bentkowski, Dr. Phil. Prof. Ord. et h. t. Decanus, expositis doctrinis fundamentalibus et subsidiariis Historiae, duce libello: *Propaedeutik des historischen Studiums von Fr. Rühs. Berl.* 1817, tradet historiam Universalem, diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris et Saturni h. 3 — 4. Die vero Saturni h. 11 — 12. instituet exercitationes historicas.

2. Seb. Ciampi, Prof. Ord. Can. Cath. Kielc. historiam literarum et pulcrarum artium persequetur ab aetate Caroli Magni ad integram illarum restitutionem seculis XIII. XIV. XV. primis hebdomadis diebus h. 9 — 10. Die autem Veneriset et Saturni eadem hora aliquos Romanorum auctores illustrabit.

3. A. E. Zinserling, Prof. Ord. explicabit Antiquitates Romanas diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. 10 — 11. Tibulli carmina explicabit diebus Mercurii et Veneris hora 11 — 12.

4. Aug. Jacob Dr. Phil. Prof. Ord. interpretabitur Iliadem Homeri diebus Martis, Veneris et Saturni hora 10 — 11. Thucydidis vero libros aliquot de bello Pelopon. illustrabit diebus Lunae, Martis et Veneris. h. 4 — 5.

5. Ludovicus Osinski, Prof. Extraord. Theoriam artium elegantiorum inprimis Polonicarum tradet die Mercurii h. 3 — 4.

6. Casimirus Werbusz, Lector linguae Russicae tradet hanc linguam diebus Martis, Jovis et Veneris h. 7 — 8. Interjectis duobus vel tribus mensibus hora mox determinanda exponet historiam literaturae Russicae.

II. Artium Liberalium.

1. Carolus Varenne, Prof. extraord. docebit artem delineandi et pingendi singulis diebus h. 10 — 12.
2. Antonius Blank, Prof. extraord. monstrabit artem delineandi et pingendi quotidie h. 8 — 10.
3. Sigism. Vogel, Prof. extraord. tradet artem delineandi secundum praecepta perspectivae et optices, diebus Lunae, Jovis et Veneris, h. 2 — 3.
4. Michael Kado, Dr. Phil. Prof. extraord. docebit Architecturam sublimiorem diebus Lunae Mercurii et Veneris h. 10 — 12.
5. Hil. Szpilowski, Prof. extraord. tradet Architecturam civilem diebus Martis, Iovis et Saturni h. 10 — 12.
6. Jul. Colberg, Prof. extraord. docebit Geodaesiam practicam, librationem et delineationem topographicam, duce libello: *Meyers practische Geometrie* diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora 3 — 5.
7. P. Lange, Prof. extr. Hydrotechnicen et Architecturam pontium et viarum docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris hora 2 — 3.
8. Paulus Malinski Prof. Extraord. tradet caelandi sculpendique artem diebus Martis et Veneris h. 2 — 4.
9. J. F. Krethlow, Prof. extraord. docebit artem cupro sculpendi singulis hebdomadis diebus. h. 2 — 4.